

Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Mayenne, Nr. 4

Nosse debebitis, si qui eritis posteri nostri, Majoris scilicet hujus habitatores monasterii Sancti Martini, Berengerium, filium Beraldi, donasse sancto Martino et nobis sub regimine nunc agentibus domni abbatis Alberti anno ab incarnatione Domini MLXII unam terre mansuram apud castrum Meduanam his finibus limitatam ab oriente chimino de Monteseuro, ab occidente Meduana flumine, ab aquilone rivulo nomine Pleimaro. Hanc donationem authorisavit nobis Grihardus de Meduana, cui census solvitur ex ipsa terra XII denariorum ad festum Nativitatis sancti Johannis. Et is Grihardus tenebat hec de Burchardo de Aredone qui et ipse tam illam nobis terram auctorizavit, quam universa que nobis aut venderentur aut donarentur que ipse auctorizare deberet. Annuit quoque supradicte donationi Berengerii Frotmundus, sororgius ejus, et Aremburgis, uxor Frotmundi, soror Berengerii, filii quoque ipsorum Frotmundus atque Guillelmus. Testes horum Stabilis presbyter, Gunterius de Tellello, Ebrardus Salnericus.